

affectiones essentiam illam insequentes. Sed suam etiam propriam & distinctam essentiam coelum habet, suam elementa, suam mixta & animata. Hinc propriae etiam dantur affectiones, quæ solius cœli, solius ignis, solius magnetis, solius canis sunt. Hic in communibus acquiescendum, propriae verò & speciales ad specialem partem reservandæ sunt. Istæ enim, ceu *B. Sperlingius* disferit hic considerandæ, quæ omne corpus naturale afficiunt. Sic quantitas omni corpori naturali inest. Quantum est coelum, quanta est terra, quanta species cæteræ & ipsæ quoque corporum atomi. Non minus qualitas, locus, tempus, motus aut quies omni corpori naturali insunt, nam & hæ essentiam corporis naturalis sequuntur. Coelum quale est, in loco est, in tempore est, in quiete est: Sol qualis est, in loco est, in tempore est, in motu est, & quodcumque corpus dari ac nominari potest, de his participat affectionibus. Diversa ratio est caloris, lucis, frigoris & aliarum affectionum. Lucidæ quidem sunt stellæ, cicindelæ, squamæ piscium, candellæ accensæ, oculi felium, specula, gemmæ, nix, glaciés & plura ejusmodi. At caret luce aër, caret terra, caret ipsum quoque coelum. Peculiaris ergò affectio lux est, non communis, non generalis, nec ad generalem, sed specialem Physicæ partem referenda est. De calore, frigore & aliis idem faciendum judicium, nullus in cœlo calor, nullus in sole, nullus in stellis reliquis. Frigus etiam nullum in pulcherrimo astrorum domicilio. Speciales ergò sunt affectiones, specialesque requirunt causas. Ubi notes insuper, affectiones illas communes ita inesse, ut certum sequantur principium, nunc formam, nunc materiam, ceu supra quoque aliquod ejus rei indicium fecimus. Sic quantitas corpori naturali inest propter Materiam: Qualitas propter formam. Locus propter Materiam, tempus propter eandem. Quoties de corpore naturali dicitur aliquid, non subsistendum, sed quærendum amplius, cur dicatur: Causa nempe indaganda, propter quam inest ac dicitur. Scire enim est rem per causam cognoscere. Non est satis nosse, corpus naturale esse, quantum, esse in loco. Etiam humiles & plebejæ animæ id non ignorant. Plus ultra tendit doctus, causamque monstrat, cur quantum sit, cur quale, cur in loco &c.

SECUN-